

fluxionem recipiat, robur adferre, unde observatum est communi usu, ovi album cum myrtillis adhibere. ita Lanfrancus, & Rasis, verum rosaceo primo perfundunt.

DE CONTUSIONE

cum fractura ossis, sine apparente vulnere.

CAP II.

SI nullo vulnere apparente cranium læsum subesse judicetur (id verò iudicium, ex hominis casu & mentis motione & consequenti vomitione sumitur) addita interdum oculorum caligine; sumitur etiam iudicium ex notatione fustis vel saxi, quo petitus homo est, ex loci, unde instrumentum emissum fuerit, distantia, ex viribus, animi ira, atque impulsu ejus qui percusserit. Nam qui ira percitus, & nullo metu retardatus, adversarium ferit, majores multo atque validiores vires adhibet.

His igitur atque similibus animadversionibus an cranium læsum fuerit. facile judicatur: id quod non obscure Avicenna docet, fen 5. tractatu 3. & primo de fractura cranii. Multoties, inquit accidit ut findatur cranium, & non findatur cutis, imò apostemetur & tumefiat caro, & cutis quæ est super cranium. Atque illud

illud quidem hujus à me facti judicii exemplum non incommodè succurrit.

Ex duobus rixantibus hominibus alter ab altero percussus est saxo : is verò qui accepit , galea caput armaverat , qui tamen gravissimo turbatus ictu protinus in terram corruit : statim autem dum ab accurrentibus sustollitur evomuit. His ego conjecturis , & galeæ aliquantulum compressæ contemplatione , ossis raturam subesse judicavi : loco igitur aperto , contusionem ipsam vulnere factò formavi. Postera verò die cranium eo instrumento , quod à Græcis abaptiston, nobis trepanum dicitur, terebravi , quanquam vix capillaris & subtilissima rimula in osse ostenderetur. Offendi autem satis magnam concreti ac teterrimi cruoris copiam , quæ in duram matrem defluserat : eo igitur modo atque ordine , quem sequenti capite jungemus , curatus brevi sanatus est , nullo gravi symptomate invadente.

A N N O T A T I O.

*Magna est inter doctissimos chirargos questio an si integra cute calvaria perfringatur , os scindi debeat & membrana patere. Celsi , & Pauli opinio scindendum esse os, ut admo-
net auctor ; tamen alia videtur esse Hippocra-*

14 DE CURAN. VULNER.

zis libro περί τραυμάτων, quam Iacobus Perusinus è natura petitis argumentis confirmat: vide Vidium Vidum Florentinum Commentario in eundem librum.

DE FRACTURA
CRANII.

CAP. III.

SÆpe ab indoctis atque inexpertis chirurgis in capitalis ossis ruptura ob artis ignorationem, atque ob iudicii defectum, non sine gravissimo periculo peccatur: dum nihil ab istis de ossium ruptura cogitatur; &, an in cerebri telis, membranis & articulis quicquam læsum aut punctum fuerit; disquirere negligitur. Solent namque inferioris ossis (quam vitream tabulam vocant) partes non rarò discindi, discuti, atque etiam disijci, ac dissipari: id autem vitium sæpius etiam in inferiori quàm in superiori tabula factum esse deprehenditur: quam quidem rem gravissima imprimis symptomata, deinde verò mors ipsa consequitur. At verò non rari sunt, quibus levissimum est, ubi nulla fractura, nec fracturæ quidem suspitio ulla cogit, caput ipsum incisione aperire: ubi verò certam rupturam suspicari meritò possis, nihil omnino aperiunt. His autem rebus
artis